

obligationem solutionis decimarum non integrarum, utpote ad quas de jure jam debitas nec consuetudo, nec approbatio requiritur, sed secundum partem tantum. Deinde responderi potest concedendo, quod aliquæ decimæ sola consuetudine debeantur, illæ nempe quæ solvuntur a personis de jure ad solvendas decimas non obligatis; quales sunt clerici c. II. h. t. item secundum aliquos decimæ personales, utpote secundum communissimam solo jure humano debitæ. Et ex his responsis patet, nec textum c. *In aliquibus* 32. h. t. nec alium textum quidquam probare pro adversariis.

90. *Immemoralis consuetudo licet æquivalet privilegio, non eximit a solvendis decimis.* — Objicies III. Consuetudo immemoralis æquivalet privilegio, ut habet communis apud Covarruviam, lib. I. *Variar. resolut.* c. XVII. n. 5, arg. l. fin. ff. *de Aqua, et aqua pluvia arc.* ergo saltem per hanc acquiri potest exemptio a solvendis decimis. Resp. Transmisso ant. negando consequentiam; quia Bulla Urbani VIII. supra n. 87. citata expresse contradicit: uti bene observat Fagnanus, in c. *In aliquibus* 32. h. t. n. 14. et in cap. I. *de Consuetud.* n. 57. Nec valet dicere dictam Bullam in his locis non esse promulgatam, vel saltem non receptam. Nam contra est, quod in eadem expresse etiam inter alia habeatur, non fuerit publicata, vel usu recepta, aut usu contrario quantumlibet longissimo abrogata; sunt verba § 4. ejusdem Bullæ.

91. *Quid de passim consuetudine vigente non solvendi decimas?* — Objicies IV. Per consuetudinem passim sublata sunt non tantum decimæ personales, sed etiam in plerisque locis prædiales et reales minutæ, ac in nonnullis locis etiam decimæ majores, et in aliis locis sunt diminutæ: ergo vel consuetudo hæc valida erit et licita: vel certe innumeri homines etiam alias timorati, qui huic consuetudini ubique se accommodant, graviter peccabunt. Resp. illos, qui vi solius consuetudinis, decimas reales non solvunt, secundum antiquorum (cum quibus et nos sentimus) sententiam: revera peccare omnes, quos non excusat ignorantia, vel bona fides, qua credunt, se male non agere sequendo communem gravissimorum doctorum opinionem. Cæterum relinquimus iudicio prudentis lectoris, quænam sententia antiquorum nempe, an recentiorum in hoc puncto probabilior. Solummodo monemus doctores

teneri sedulo indagare veritatem, illamque sententiam, quam revera judicant probabilior, ipsosmet non tantum sequi, sed et interrogare, aliis consulere, eo quod juxta omnes non liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliori in materia tangente præjudicium tertii, qualis est materia decimarum. (ADNOTATIO XLIX.)

§ V.

DE PERSONIS, QUIBUS DECIMÆ SUNT SOLVENDÆ.

92. *Decimæ jure divino debentur clericis Ecclesie ministris, olim per episcopos dividendæ.* — Quæritur I. Cuiam solvendæ sint decimæ? Ante responsionem notandum, quod jure divino decimæ solvi debeant clericis Ecclesie ministris, prout patet ex dictis supra n. 13. ac c. *Tua nobis* 26. h. t. ubi expresse dicitur, quod « Deus decimas in signum universalis domini sibi reddi præceperit, et in tantum, ut ad eas clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, laici sint cogendi: » quibusnam autem Ecclesie ministris singulæ decimæ essent solvendæ, determinandum. Deus reliquit Ecclesie, ejusque; summo capiti visibili, nempe Papæ, qui pro diversitate temporum et circumstantiarum decimas Ecclesie ministris diversimode assignavit. Et quidem olim decimæ omnes solvebantur loci episcopo, ad hoc, ut ille eadem clericis Ecclesie ministris, cuivis pro merito et exigentia in sua Diocesi fideliter distribueret, prout videtur est in can. in cau. 16. q. 7. ibi: « Decimas sub manu episcopi esse censemus, ut ille, qui cæteris præest, omnibus juste distribuat, etc. quia inhonestum videtur, ut alii sacerdotes habeant, alii detrimentum patiantur. » Concordat, can. *Pervenit* 3. ead. cau. et q. ubi episcopus vocatur « divini mandati transgressor » quod decimas laicis, et non propriæ diocesis sacerdotibus distribuerit. Verum jure novo aliter disposuere Pontifices, uti dabunt conclusiones sequentes.

93. *De jure communi decimæ debentur parochis.* — Resp. I. Hodierno jure communi post factam parochiarum, ac honorum ecclesiasticorum divisionem, decimæ solvi debent parochis. Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* p. III. c. XXVIII, § 2. n. 7. et seqq.; Fagnanus, in c. *Cum contingat* 29. h. t.; Pirhing, h. t. n. 80. cum communi aliorum, claris juribus c. *Cum contingat* 9. h. t. ibi: « Per-

septio decimarum, ad parochiales Ecclesias de jure communi pertinet, » et c. *Cum tua* 30. eod. ibi: « Ad Ecclesias parochiales de jure communi spectat perceptio decimarum. » Nec est controversia inter doctores circa conclusionem de parochis in genere propositam: quia vero varii parochi, et Ecclesie parochiales sunt, proprii nempe et alieni baptismales et non baptismales; aliqua controversia est inter doctores cuiam parochi debeantur decimæ? Pro cujus decisione faciunt conclusiones sequentes.

94. *Decimæ prædiales pertinent ad parochum loci, in quo prædia existunt.* — Resp. II. De jure communi decimas prædiales parochi loci solvere debent non tantum parochiani proprii, sed etiam alieni de agris et prædiis, quæ intra limites talis parochiæ existunt, nisi in contrarium sit loci consuetudo. Prima pars de propriis parochianis est communis ac certa, patetque ex juribus præced. n. allegatis. Altera pars docetur a Glossa, in c. fin. *de Paroch.* §. *Prædiorum*, et n. c. *Ad apostolicæ* 20. vers. *Diversæ*. h. t.; Fagnanus, in c. *Cum contingat* h. t. n. 21; Abbas, in c. *Cum sint* 18. h. t. n. 6; Pirhing, h. t. n. 85; Engel, eod. n. 6; Sylvester, vers. *Decimæ*. num. 14; Navarrus, h. t. consil. 1. n. 6. et communis aliorum, arg. c. fin. *de Paroch.* et c. *Quoniam* 13. h. t. ubi universaliter ac indistincte statuitur, « ut si terræ intra certam alicujus Ecclesie parochiam fuerint, decimæ earum eidem Ecclesie debeant assignari. » Ratio est, tum quia juxta superius decimæ prædiales sunt onus reale inhærens ipsis rebus; in oneris autem realibus non inspicitur colonus, sed locus, ubi res sita est, arg. l. *Forma* 4. ff. *de Cens.* et c. *De terris* 16. h. t.; tum quia valde difficile, et confusionis periculo expositum esset, si unus parochus in alterius parochia decimas colligeret, ut bene notatur c. *Cum sint* 18. h. t.

95. *Nisi aliud habeat consuetudo.* — Dicitur tamen notanter, « nisi in contrarium adsit consuetudo; » quia si alicubi viget consuetudo, quod parochiani non alieno, sed proprio suo parochi solvant decimas etiam de agris et fundis in aliena parochia sitis, eidem standum est: prout fatentur omnes; ob clara jura cit. c. *Cum sint* 18. h. t. ubi expresse statuitur, ut « in hujusmodi casu ad consuetudinem sit recurrendum, » quod idem dicitur c. *Ad apostolicæ* 20. h. t. illis verbis:

« Decimas vero messium, vel fructuum arborum, si coluerint in alia parochia, quam in eâ, in qua habitant: tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum. »

96. *Quomodo, non obstante, quod decimæ debeantur jure divino, valeat consuetudo?* — Dices; decimæ tam materialiter quam formaliter sumptæ debentur de jure divino juxta dicta supra n. 8. et seqq. ergo nihil circa eas valet consuetudo, utpote quæ contra jus divinum nullam vim habet c. fin. *de Consuetud.* Resp. distinguendo ant. Decimæ debentur de jure divino in tantum, in quantum pro signo supremi domini Ecclesie, seu clericis Ecclesie ministris debeant solvi, conceditur: in tantum, ut de jure divino uni certo Ecclesie ministro, et non alteri ministro solvi debeant, negatur ant.; quia uti n. 92. diximus, Deus tantum præcepit, ut pro culto suo decimæ dentur clericis, relinquendo deia vicario suo, et Ecclesie ut easdem pro meritis et exigentia circumstantiarum dividat; consequenter quia Ecclesia decimas prædiales illi parochi assignat, cui ex consuetudine dari consueverunt, sive dantis proprius sit parochus sive non, consuetudo hæc attendenda erit.

97. Instabis: Decimas de jure divino debet quis illi parochi, a quo recipit sacramenta, et alia divina; cum jure divino dignus si operarius mercede sua; arg. c. I. *de Sepulturis*. ergo per consuetudinem fieri non potest ut neglecto parochi proprio decimas quis solvat alieno parochi. Resp. rursus distinguendo ant. Decimas materialiter sumptas, quatenus nempe sumuntur pro honesta sustentatione de jure divino debet quis illi, a quo percipit divina, conceditur: decimas formaliter sumptas, negatur; hæc enim, ut dictum, ex divino jure solummodo debentur Ecclesie, et clericis Ecclesie ministris in genere, ita ut quantum est de jure divino, et nisi Ecclesia aliud ordinasset, præcepto huic quis satisfaceret, cuicumque tandem Ecclesie, et ministro ejus decimas daret: adeoque de jure divino non referat, quænam Ecclesia vel minister ejus decimas percipiat; cum, uti bene observat Abbas, in c. *Cum sint* 18. h. t. n. 6. omnes Ecclesie censeantur una Ecclesia, arg. can. *Loquitur* 18. cau. 24. q. 1. et quis clericus beneficiatus eodem modo et obligatione teneatur in pauperes, et causas pias erogare, quidquid ex decimis honestæ sustentationis superfluum habet, arg. can. *Decimæ* 66. cau. 16. q. 1.

98. *Parocho proprio non fit injuria, si decimæ prædiales alieno parrocho solvantur.* — Neque fit injuria proprio parrocho, si vi consuetudinis decimæ prædiales dentur alieno, illi nempe, ubi ager, vel fundus dantis decimas existit; tum quia pari jure in simili casu et ipse gaudet, ut nempe ab alieno parochiano, habente in sua parochia prædialia, decimas percipiat: tum quia remanentem adhuc omnes decimæ personales, ac etiam prædiales de agris intra limites suæ parochiæ sitis: tum etiam quia omnibus deficientibus habet jus ad decimas materialiter sumptas, seu ad honestam sustentationem, ad quam, si necesse est, etiam illi proprii parochiani concurrere debent, qui alieno parrocho decimas formaliter sumptas vi consuetudinis solvunt de suis fundis in aliena parochia sitis.

99. *Decimæ personales debentur parrocho, a quo quis recipit divina.* — Resp. III. Decimas personales de jure communi quisque tenetur solvere proprio parrocho, a quo recipit sacramenta, et alia divina, etiamsi alibi iurum ex negotiatione v. g. faciat. Abbas, in c. *Ad apostolicæ*. 20, h. t., n. 1, et ibi Barbosa, Joan. Andreas. Pirhing, h. t. n. 84. cum communi et certa aliorum, textus expressus habetur cit. c. *Ad apostolicæ*. 20, h. t. ibi: « Noveris itaque, quod æquum est, ut illi Ecclesiæ decimæ personales reddantur ab eis, in qua ecclesiastica percipiunt sacramenta. » Concordat, c. *fin. de Parochiis*. Ratio est: quia decimæ personales non sunt onus reale, sed personale ex dispositione Ecclesiæ assignatæ parrocho proprio in sustentationem ejusdem pro mercede laboris spiritualis, quem parochiano exhibet, arg. citatis juriibus, et c. *de Decimis*. 45. cau. 16. q.

100. *Parochi habent fundatam intentionem in jure super decimis contra quemvis.* — Resp. IV. Decimæ modo in præcedentibus tribus conclusionibus specificato, usque adeo debentur parochis, ut hi etiam habeant pro se fundatam intentionem in jure contra quemcumque etiam clericum, monasterium, imo et episcopum, consequenter emergente dubio vel lite de decimis, onus probandi non parrocho, sed aliis asserentibus, quod decimæ pertineant ad se, incumbat. Fagnanus, in c. *Cum contingat*. 29. n. 21; Rebuffus, *de Decimis*. q. 7. n. 5; Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* p. III. cap. XXVIII. § 2. n. 8; Pirhing, n. 80; et teste Fagnano omnes alii,

arg. cit. c. *Cum contingat*. 29. et c. *Cum in tua*. 30. eod. per textus n. 93. allegatos, juncto cap. II. *de Restitut. spoliat.* in 6. ubi etiam statuitur, quod licet alias spoliatus ante omnia sit restituendus, arg. c. *fin. de Ordine cognit.* spoliatus tamen a parrocho super decimis non restituatur, nisi prius de jure suo plene docuerit.

101. *Ob quam tamen, decimas alienas invadere non possunt: nec invadentes manentur.* — Verum ultima hæc doctrina cum grano salis est accipienda, ita videlicet, quod decimis spoliatus per parochum non restituatur, casu, quo parochus spoliatus aliquandiu jam modico saltem tempore est in possessione: non item si prius nullam possessionem habuit, ut bene advertit Engel, h. t. n. 4; Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* loc. cit. n. 10. citans plures decisiones Rotæ, quæ hodie communiter resolvit, quod sola juris assistentia, et intentio in eo, pro parrocho fundata non sufficiat, ut parochus manuteneatur, nisi possessionem probet, vel de ea constet. Et merito, quia alias daretur ansa parochis, aliorum jura libere invadendi, et quemvis decimis spoliandi, contra universalem juris regulam, quod etiam verus dominus rem suam apud alium existentem violenter invadere nequeat, *Si quis*. 7. c. *Unde vi*. et § 1. *Instit. De vi bon. rapt. et c. In litteris* 5. *de Restit. spoliat.* ubi etiam « prædo secundum rigorem juris restituendus est. »

102. *Doctrina practica.* — Infertur proin pessime agere parochos, si violenter eripiunt decimas aliis, qui in possessione decimandi sunt: vel si eas via facti ante adventum illorum colligunt: vel eos in colligendis decimis perturbant, impediunt etc., etiamsi putent, quod alius decimatur in possessione existens, verum jus decimandi non habeat, vel si de eo dubitet: sane in hoc casu decimatores spoliati a parrocho sunt ante omnia restituendi, et in sua possessione manuteneendi, solumque eo adigendi, ut dubio existente, de justo titulo et jure decimas percipiendi doceant per jura, et rationes n. præced. allatas.

103. *Ecclesia baptismalis et matrix, quæ?* — Et quidem hactenus dicta de jure decimarum parochis competentibus procedunt in casu, quo eadem Ecclesia est simul baptismalis et parochialis, prout ordinarie fit. Quid juris enim si cum Ecclesia baptismali seu matrice concurrat una, vel plures Ecclesiæ

parochiales ab illa distinctæ; prout fit, si una Ecclesia parochialis in plures parochias dividitur juxta præscriptum concil. Trid., sess. 21, cap. IV, et c. *Ad audientiam de Eccles. edificand.* an nempe in hoc casu decimæ quoad limites novæ parochiæ assignatos pertineant ad novum parochum institutum? an verò ad parochum Ecclesiæ antiquæ, quæ fuit divisa (communiter *Baptismalis* dicta, eo, quod ad eam baptizandi adhuc deferri deinceps infantem intra limites novæ erectæ parochiæ nati: quo respectu etiam *Ecclesia matrix* appellatur, quia sicut mater generat, ita Ecclesia baptismalis baptizando omnes regenerat, sicque omnium Ecclesiæ matrix merito dicitur, prout notat Glossa, in *Dem. 1. de Sentent. Excomm. y. Matricem*.) gravissima olim erat controversia inter doctores uti videre est apud Fagnanum, in cit. c. *Cum contingat*. h. t. n. 31. et seq. ubi sex diversas opiniones cum fundamentis earum per extensum adducit, et ad singulas solide respondet. Verum tota difficultas hodie sublata est per sacram congregationem concilii Tridentini juxta quam

104. *Quando dividitur aliqua parochia, remanent decimæ prædiales apud matricem, nisi aliter ordinet episcopus.* — Resp. V. Quando parochia aliqua dividitur in plures, tunc decimæ prædiales etiam de limitibus parochiæ noviter erectæ pertinent ad Ecclesiam matricem, seu potius apud eam remanent, nisi in erectione novæ parochiæ episcopus una cum limitibus certis, etiam dictorum limitum decimas parrocho expresse assignet. Fagnanus, in c. *Cum contingat*. 29. a. n. 42. cum nonnullis aliis contra communem aliorum, inter quos est Pirhing, h. t. n. 91; Layman, lib. IV. tract. VI. cap. IV. n. 3. et alii, doctores, quod quando auctoritate episcopi nova parochia per divisionem erigitur, ipso jure et facto transeat jus decimandi ad novum parochum in limitibus sibi assignatis. Probatum autem conclusio nostra efficaciter ex decreto sacre congregationis edito 1617. existente secretario ipso Fagnano (prout loc. cit. num. 51. ad finem refert) cum enim eo tempore in causa Mediolanensi circa hanc questionem dubitaret Rota, nec se resolvere posset ob verba concilii Tridentini, sess. 21. cap. IV. « Assignetur competens portio, » confugit ad sacram congregationem cardinalium dicti concilii interpretum, ab eaque declarationem petivit, quæ facta matura discussione declaravit id, quod dicit conclusio

nostra. Et quamvis alia probatione opus non esset; eo quod declaratio cardinalium habeat vim obligandi juxta dicta in proemio nostro § 8, n. 130.

105. *Probatum ex jure.* — Nihilominus cum citato Fagnano probatur, quam merito dicta sacra congregatio allegatam declarationem dederit. Et quidem ex ipsis verbis concilii Tridentini, loc. cit. ubi postquam episcopis potestatem dedit per divisionem novas erigendi parochias, mox subdit: « Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem, quomodocunque pertinentibus: » ubi verba « assignetur competens portio arbitrio episcopi, » aperte probant conclusionem: si enim post factam divisionem portio competens primum assignari debet arbitrio episcopi; utique non transit ipso jure; nam terminus *assignetur*, est verbum facti, et requirit ministerium hominis arg. l. I. § fin. ff. *Nautæ cauponæ*, etc. Dein, dum dicit « arbitrio episcopi, » assignetur, indicat, eam non transire ipso jure. Rursus verba « competens portio » satis indicant, non omnes, ergo nec aliquæ certæ de certis limitibus ipso jure debentur: cum non sit ratio de uno quam de alio; consequenter erit primum assignanda, prout vult concilium, arbitrio episcopi.

106. *Non est necesse, ut episcopus omnes decimas assignet.* — Porro dicta verba « competens portio arbitrio episcopi assignetur ex fructibus quomodocunque ad Ecclesiam matricem pertinentibus, » manifeste indicant, non semper esse necesse, ut episcopus omnes decimas de limitibus novæ parochiæ datis, parrocho novo assignet, sed tantas solummodo, quantæ sufficiunt una cum cæteris juribus ad competentem portionem: omnes nempe, si omnes necessariae sunt; aliquas vero, si aliquæ sufficiunt pro competente portione, ac honesta sustentatione, prout bene advertit Fagnanus, loc. cit. n. 48. arg. c. *Extirpandæ*. 30. et c. *Exposuisti*. 33. in fine, *de Præbend.* Cæterum dicit notanter in conclusione decimæ prædiales; quia quod decimæ personales spectent ad parochiam noviter erectam, ipsoque jure ad ipsam transeant, et fere unanimis cum Glossa in c. *Ad audientiam*. 3. *de Eccles. edific.* vers. *Obventiones*, et bene notat Fagnanus, loc. cit. n. 52. Ratio est, quia decimæ personales de jure debentur illi parrocho, a quo quis recipit

divina, prout teste Abbate, in c. *Cum contingat*. h. t. n. 16. et Fagnan., in idem, n. 20. et 32. concedunt omnes arg. can. *Questi*. cau. 16. q. 1. et c. *Ad apostolica*. 20. h. t. ibi: «*Æquum est, ut decimæ personales illi reddantur Ecclesie in qua ecclesiastica percipiuntur sacramenta.*» Nec in contrarium est declaratio sacre congregationis, utpote quæ de solis prædialibus interrogata, de iisdem solis dedit responsum, teste Fagnano, loc. cit. tunc temporis existente sacre congregationis secretario.

107. *Episcopis debetur quarta de singulis decimis.* — Quæritur II. An, et quando hodierno jure communi etiam episcopis solvi debeant decimæ? Resp. I. De jure communi debetur episcopo quarta de singulis decimis. Abbas, in c. *Cum contingat*. 29. num. 7. h. t. et ibi Fagnanus, n. 23. ubi affert Rotæ decisiones, et ait esse communem omnium fere doctorum contra Glossam, in cit. c. *Cum contingat*. h. t. §. *de Jure communi*. textus expressus est in c. *Conquerente*. 16. *de Offic. judic. ordin.* ubi inter jura episcopis competentia numeratur quarta decimationum. Concordat, c. *Quoniam*. 13. eod. ubi jubetur episcopus decimas Ecclesie parochiali restituere, «*sua sibi parte quarta nempe retenta,*» et c. *de Quarta*. 4. *de Præscript.* ubi etiam habetur, quod clerici, præsertim parochi (ab is enim episcopus quartam de decimis jam collectis accipit, prout post Abbatem bene observat Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* part. III. cap. xxviii. §. 2. num. 41.) quadragenaria præscriptione immunes se reddere possint a solvenda episcopo quarta decimarum ibi: «*De quarta decimæ clerici ab impetitione quadragenaria præscriptione temporis se posse tueri videtur.*» Et quoniam eadem quarta sola dispositione juris humani episcopis debetur, etiam consuetudine locorum tolli potest, arg. c. *fin. de Consuetud.* atque de facto multis in locis est sublata.

108. *De quibus habet fundatum intentionem.* — Porro sicut juxta dicta n. 100. parochus ratione decimarum ita etiam episcopus ratione quartæ earumdem, fundatam habet intentionem, Barbosa, loc. cit. n. 10; Fagnanus, loc. cit. n. 23. et communis doctorum arg. c. *Dudum*. h. t. intuitu cujus tamen eisdem mandatam de manutenendo non debetur, nisi probet, se aliquo saltem tempore in possessione fuisse, ob jura, et rationes supra n. 101. in simili de Parochis allata.

109. *Enumerantur casus, in quibus episcopo*

debentur integræ decimæ. — Resp. II. Dantur aliqui casus, in quibus soli episcopo solvi debent integræ decimæ. Patet inductione: sic enim. I. In diocesis, in quibus nulla existit divisio, vel distinctio parochiarum, soli episcopo debentur, quemadmodum eadem olim percipiebat, non quidem, ut sibi soli eas reservet, sed ut eas fideliter distribuatur conformiter dictis n. 92; Fagnanus, loc. cit. n. 29; Barbosa, loc. cit. n. 15; Abbas, in c. *Cum contingat*. h. t. n. 7; Poteus, decis. 374, n. 6, lib. I, et communis aliorum, arg. can. 1, cau. 16, q. 7.

110. II. Quando sunt in diocesi prædia, quæ intra nullius parochiæ assignatos limites existunt, seu nulli certæ parochiæ sunt assignata. Fagnanus, loc. cit. n. 28; Barbosa, loc. cit.; Abbas, loc. cit. n. 7; Pirhing, h. t. n. 79, et communis aliorum, arg. c. *Quoniam*. 13. h. t. in fine. Ratio est, quia si prædia intra nullius parochiæ limites existunt, censentur esse sub potestate episcopi, juxta antiquam juris dispositionem dividendæ, uti bene observat Glossa, in c. *Cum contingat*. h. t. §. *Jure communi*, arg. cit. can. 1, cau. 16, q. 7.

111. III. Quando episcopus est etiam immediatus pastor, sive curatus in aliqua certa parochia, quam per vicarium administrat, sive dein hæc sit Ecclesia cathedralis, sive alia parochialis. Fagnanus, loc. cit. n. 2; Pirhing, loc. cit. n. 79, et alii. Ratio est, quia hoc ipso, quod in aliqua parochia sit ipse immediatus pastor, sicque parochus, gaudet etiam juribus parochi, inter quæ est perceptio decimarum.

112. *Etiam aliis clericis beneficiatis debentur decimæ: et quando?* — Quæritur III. An etiam, et quando aliis clericis præter episcopum et parochum de jure solvendæ sint decimæ? Resp. Etiam clericis beneficiatis non curatis, puta, canonicis cathedralibus, collegiatis, ac aliis simplicia beneficia habentibus, de jure communi solvi debent decimæ secundum eam portionem, quæ eorum mensis vel beneficiis legitima auctoritate ecclesiastica est assignata; sicut et quando eorum beneficia ex decimis legitime sunt fundata. Suarez, lib. I, cap. xxix, n. 3; Pirhing, h. t. n. 81, et alii, arg. c. *Ex part.* 21. h. t. ubi mandat pontifex, ut etiam canonicis decimæ solvantur absque diminutione. Ratio est, quia non tantum curatis, sed etiam clericis Ecclesie ministris in genere, ut sui loco decimæ solvantur, præcipit Deus, arg. c. *Tua*

nobis. 26, h. t. relinquendo Ecclesie, ejusque rectori principali, Papæ nempe, tantum suo in terris vicario, ut præfatas decimas clericis Ecclesie ministris rite distribueret; consequenter si legitima Ecclesie auctoritate præfatis clericis certæ decimæ sunt assignatæ, eisdem omnino debentur. Accedit, quod non tantum in administratione curæ, sed et in aliis, clerici Ecclesie ministri servitia spiritualia exhibeant, et propterea etiam digni sint mercede.

113. *Secus est de non beneficiatis.* — Clericis tamen non beneficiatis decimæ aliquæ ratione solius status clericalis in jure assignatæ non reperiuntur; adeoque, nisi specialem titulum exhibeant, decimæ eisdem de jure communi non debentur: quod idem etiam de religiosis qua talibus dicendum, eo quod nec isti, nec illi ex vi sui status, vel ex obligatione alicujus officii spiritualis, populo in spiritualibus inserviant, aut spiritualia administrent, arg. can. *Alia causa*. 6. can. 68. cau. 16. q. 1. ad quod tamen in dividendis et assignandis decimis respicere solet Ecclesia: quod non obstante saltem aliis titulis, v. g. præscriptione, privilegio, etc., jus decimandi acquirere valent, juxta dicenda § seq.

114. *Decimæ solvi debent clericis Ecclesie ministris, etsi hi sint divites.* — Quæritur IV. An episcopis, parochis, et aliis clericis Ecclesie ministris solvi debeant decimæ etiam in casu, quo ipsimet sunt divites, et aliunde jam sufficientes, vel abundantes habent redditus, aut media? Resp. affirmative, Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. xvii, n. 4; Vallensis, h. t. § 6. ad finem; Pirhing, eod. n. 82, ac teste Covarruvia, omnes. Ratio est, tum quia decimæ clericis non dantur ex eo, quod pauperes sunt, sed quia Deus præcipit, ut in signum supremi dominii sui loco dentur clerici juxta Ecclesie dispositionem. arg. c. *Tua nobis*. 26. h. t. et quia spiritualia ministrant, nullus autem propriis stipendiis militat, etsi dives sit: nec debet aliquis privari jure suo, ex eo, quod dives sit. Accedit, quod clerici decimas honestæ sustentationi superfluas erogare teneantur in causas pias, et pauperes, «*Decimæ namque tributa sunt egentium animarum,*» can. 66. cau. 16, q. 1. ubi propterea etiam dicitur, «*Decima defraudantes pauperibus præjudicare.*»

115. *Vel male vitæ.* — Pariter debentur clericis decimæ, etsi male vivant, aut in malos, ac profanos usus eas applicent, uti bene

notat Abbas, in c. *Tua nobis*. 26, h. t. n. 1; Vallensis, eod. § 9, n. 13; Rebuffus, *de Decimis*. q. 13, prin.; Pirhing, h. t. n. 82, arg. cit. c. *Tua nobis*. 26, h. t. ubi Papa increpat laicos, qui decimas ob malam clericorum vitam defraudabant. Addit rationem, quia nempe decimæ in signum supremi dominii clericis sui loco Deus dari præcepit. Nec excusantur per hoc, quod dicant laici, se eisdem pauperibus, et in his Christo dare, consequenter melius agere, quam si clerico in malos usus applicandi solverent, arg. cit. c. *Tua nobis*. 26. h. t. ibi: «*Prætextu nequitie clericorum nequeant eas pro suo arbitrio pauperibus, v. g. erogare: cum nulli sit licitum aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem.*»

§ VI.

DE VARIIS MODIS, QUIBUS CLERICI JUS DECIMANDI ACQUIRERE POSSUNT.

116 et 117. *Clerici acquirere possunt jus decimandi privilegio, transactione et compositione.* — Quæritur I. Quibus modis clerici acquirere valeant jus decimandi, quod alias ipso jure eis non competet? Resp. Variis modis clerici acquirere possunt jus decimandi. Patet inductione. I. Acquirere illud valent «*Papæ concessionem, seu privilegio,*» quo fit, quod decimæ alias de jure ad parochum spectantes solvi debeant Ecclesie non parochiali, v. g. regulari, aut beneficiato simplici. Communis, ac certa, arg. c. II. h. t. in 6. Ratio est, quia cum jure divino cuncti clerici sint capaces juris decimandi, arg. c. *Tua nobis*. 26. h. t. utique poterit Pontifex, cui juxta dicta n. 92. divisio decimarum inter clericos faciendæ concessa est, aliquibus assignare jus decimandi, quibus alias de jure assignatum non est; præsertim si bonum Ecclesie id exigere dignoscitur.

II. Acquirere jus decimandi valent per transactionem et amicabilem compositionem: ut, si v. g. lis oriatur, ad quem ex parochis, vel aliis clericis Ecclesie ministris, vel etiam religiosis pertineant decimæ, possunt partes litigantes transigere, et componere, ut decimæ alias uni parochi v. g. debite dentur alteri, vel certa pars earum. Glossa, in c. *Ex multiplici*. 3. h. t. §. *Conventionem*; Barbosa, *de Offic. et potest. parochi*. p. III, cap. xxviii, n. 24; Rebuffus, *de Decimis*. q. 13. n. 26; Pirhing, h. t. n. 120: